

# Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

## Sententia definitiva

Prot. N. 22113/90 CA

N.

**Exsecutionis Sententiae huius Supremi Tribunalis**

(Rev.dus [X] – Administratio Patrimonii Sedis Apostolicae)

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

IOANNE PAULO PP. II feliciter regnante, Pontificatus sui anno XV, die 27 martii 1993, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis PP. Bernardino Gantin, Rogerio Etchegaray, D. Simon Lourdusamy, Eduardo Gagnon et Antonio Maria Javierre Ortas necnon Exc.mis ac Rev.mis D.nis PP. Vincentio Fagiolo, Ioseph Mercieca, *Ponente*, Philippo Giannini, Aemilio Eid et Iuliano Herranz, in causa N., inter Rev.dum [X] et Administrationem Patrimonii Sedis Apostolicae, intervenientibus cl.mis Patronis Carolo Tricerri pro parte recurrente et Aloisio Valletta pro parte resistente, necnon Rev.mo D.no Ioanne Paulo Montini, Promotore Iustitiae deputato, hanc definitivam tulit Sententiam.

1. – **Facti species.** – Adm. Rev.dus Dominus [X] exercuit a die 1 novembris 1956 Professoris munus Artis Musicae apud Pontificium Collegium [Y] Congregationis tunc [C] nuncupatae.

D.nus [X] cum comperisset hoc officium cessaturum esse, et simul vacaret munus Professoris apud Pontificium Institutum [Z], postulavit, etiam interpositis commendationibus, ut hoc munus consequeretur; quod concessum fuit et die 1 februarii 1976 nominatus fuit Professor Extraordinarius apud hoc Institutum. Tempore suae nominationis recurrens iam gaudebat titulo Officialis minoris 2di Gradus 2ae Classis.

In hoc suo officio, ignoratis relate ad omnes effectus annis transactis in Pontificio Collegio [Y], tributum fuit Rev.do [X] stipendium primae nominationis; i.e. tributum par titulo Officialis Minoris 3tii Gradus 2ae Classis.

Quod stipendium D.no [X] non placuit et plures instantias apud varias sedes fecit. Dein, die 27 iulii 1982, recursum fecit ad Praesidem Commissionis pro Administratione Patrimonii Sedis Apostolicae

Commemorare iuvat Rev.dum [X] munus Professoris Extraordinarii exercuisse quoque apud “Conservatorio di W”, N., ad Statum G pertinens. Quae circumstantia ansam praebuit controversiae circa disputatam incompatibilitatem inter haec duo munera stabilia quae diu exagitata fuit, pluribus exquisitis peritorum votis et officiorum quorundam Sanctae Sedis sententiis rogatis. Interea D.nus [X] munus Professoris Extraordinarii non deposuit.

Die 1 octobris 1986 Secretaria Status communicavit cum Congregatione [A] conclusionem habitam hac de re ab Administratione Patrimonii Sedis Apostolicae, quae sic se habet: «Questa Amministrazione, dopo aver preso visione di tutta la documentazione relativa al citato Professore etc. è del parere che al medesimo possano essere computati, ai fini della futura pensione, gli anni di servizio prestati presso la Congregazione [C], mantenendo lo stipendio finora percepito con tutte le regolamentari ritenute».

Secretaria Status, in eadem epistula, perguit: «Da parte di questa Segreteria di Stato non vi sono obiezioni a che si proceda a tenore del parere espresso dalla competente Amministrazione nel caso».

2. – Hac communicatione habita, Rev.dus [X] die 5 novembris 1986 fecit recursum ad Signaturam Apostolicam adversus hanc decisionem.

Die 12 octobris 1987 Congressus habitus est coram Em.mo Cardinali Praefecto huius Supremi Tribunalis, in quo decretum est: «Recursum admittendum esse ad disceptationem». Dum haec gerebantur multi conatus habiti sunt ad compositionem inveniendam, sed incassum.

Omnibus de iure perpensis, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal die 16 decembris 1989 statuit: «NON CONSTARE de

violatione legis in procedendo; CONSTARE de violatione legis in decernendo relate ad actum Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae de quo in Litteris Secretariae Status, diei 1 octobris 1986, sed solummodo quoad iura, quae ex translatione derivant, non vero quoad ea, quae ex nominatione in Professore Extraordinarium proveniunt».

Haec sententia agnovit ius ad diuturnitatem in officio a die 1 novembris 1956 et quoad pensionem acquirendam et stipendi molem determinandam; eodem tempore, tamen, edixit: «Nominatio recurrentis ad munus Prof. extraordinarii apud Pontificium Institutum [Z] «nulla habita est.

3. – Haec sententia transmissa fuit ad Administrationem Patrimonii Sedis Apostolicae quae processit in executionem sententiae Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis eamque die 20 augusti 1990 ad Rev.dum [X] renuntiavit. Quam cum cognovisset recurrens Rev.dus [X], per suum Procuratorem et Advocatum, duos recursus apud Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal interposuit quorum unus, diei 21 septembris 1990, qui impugnat sententiae executionem quam Administratio Patrimonii Sedis Apostolicae inceperat et alter, diei 11 octobris 1990, qui impugnat partem ipsius sententiae «postulans contra eam restitutionem in integrum».

Hic quaestio versatur circa positionem oeconomicam eiusdem partis Recurrentis.

Die 31 ianuarii 1991 hoc Supremum Tribunal nominavit deputatum Promotorem Iustitiae qui votum prompsit die 15 octobris 1991 positivum relate ad disceptationem de executione sententiae admittendam coram Em.mis Patribus Cardinalibus.

In Congressu dein die 13 februarii 1992 coram Exc. mo Secretario H.S.T. habito recursum admittendum esse ad disceptationem decretum est. Die 28 februarii 1992 facta est inter Cl.mos Patronos partis recurrentis et partis resistentis concordantia dubii. Memorialibus a supradictis Cl.mis Patronis necnon altero voto pro rei veritate exaratis et commutatis, nunc respondendum est dubio: «An constet de violatione legis sive in procedendo sive in decernendo relate ad actum Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae diei 20 augusti 1990».

4. – **In iure et in facto.** – Hic diiudicandum est an constet de violatione legis relate ad actum Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae diei 20 augusti 1990, quo exsecutioni mandatur sententia definitiva H.S.T. diei 16 decembris 1989.

Normae speciales quibus regitur Sectio Secunda Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis nihil dicent de exsecutione sententiae; verumtamen decisiones huius Supremi Tribunalis obligant personas, sive físicas sive iuridicas pro quibus latae sunt; nam istae decisiones sententiae naturam habent. Non est huius Supremi Tribunalis per semetipsum curare de ipsa exsecutione sententiae latae, sed sententia definitiva huius Supremi Tribunalis debet praebere Auctoritati Administrativae rectum modum eam exsequendi, et hoc vel in corpore sententiae vel in eiusdem parte dispositiva.

5. – In casu praesenti, cum quaestio versetur circa positionem oeconomicam Rev.di [X], sententia huius Supremi Tribunalis, diei 16 decembris 1989, commisit «onus computationis in concreto faciendae [...] ad organum competens, nempe ad Administrationem Patrimonii Sedis Apostolicae».

Revera haec Administratio hoc munere functa est et computationem fecit quam die 20 augusti 1990 communicavit Rev. do [X], qui eam iniustam esse declaravit, cum sit contra sensum ipsius decisionis H.S.T.

6. – Administratio Patrimonii Sedis Apostolicae ad rem haec censet:

«1. Devono esserle (Rev.do [X]) riconosciuti la qualifica di Professore Incaricato ed il relativo trattamento retributivo per l'effettiva prestazione lavorativa resa dal 1 febbraio 1976. Tale trattamento esclude il diritto alla pensione e all'Aggiunta Speciale di Indicizzazione[...].

2. Il trattamento da lei maturato [...] come Addetto di Segreteria di 2a Classe Le resta acquisito, ma congelato [...].

3. Il trattamento di pensione sarà in relazione all'anzianità da Lei acquisita fino al 1 febbraio 1976» (emphasis addita est).

7. – Ad rem, oportet haec prae oculis habere. In corpore

sententiae, inter alia, «agnoscitur recurrenti ius ad diuturnitatem in officio a die 1 novembris 1956 quoad pensionem, ius ad gradum et classem prius habitam in officio a quo, et ius ad stipendium correlativum (addetto di seconda classe)». Iudices haec omnia D.no [X] agnoverunt quia eius translationem legitimam semper consideraverant. Haec iura sunt enim consecraria legitima eiusdem translationis legitima, quae efficit ut si addictus alicuius officii Curiae Romanae ad aliud officium S. Sedis translatus sit, plene ei agnoscatur idem status ac titulus cum omnibus consecrariis iuridicis et oeconomicis quo ipse gaudebat in suo praecedenti officio.

8. – Vis et significatio omnium istorum iurium quae recurrenti D.no [X] a Iudicibus agnoscuntur plenior et accuratior evadit ubi quis notat ista iura, a Iudicibus recurrenti agnita, esse responsiones affirmativas petitionibus ob eodem Rev.do [X] die 27 iulii 1982 ad Praesidem Commissionis pro Administratione Patrimonii Sedis Apostolicae propositis, nempe:

«1. Pronunziare il diritto del Sac. [X] al riconoscimento della anzianità e della continuità di carriera a far inizio dal 11 novembre 1956;

2. Disporre perché il suddetto Sac. [X] venga inquadrato nella 1<sup>a</sup> Classe del Gruppo del 2<sup>o</sup> Grado degli Officiali Minori,

3. Disporre perché al medesimo Sac. [X] vengano corrisposti tutti gli arretrati dello stipendio derivanti dagli sviluppi della carriera e da essa maturatisi, come di sopra indicato ed in relazione agli scatti per legge operatisi dal 1<sup>o</sup> novembre 1956 ad oggi».

Haec omnia denotant gradum et classem recurrenti debitam iuxta positionem prius habitam a Rev.do [X] penes Sacram Congregationem [C].

9. – Praeterea, Iudices, postquam, animadvertunt Professores cum titulo “incaricato” ad annum electos, renovari posse et etiam dimitti ac retributionem haberi iuxta numerum horarum lectionum, statim subiungunt aliquam considerationem quae clare et praecise valde illustrat casum Rev.di [X]: «Sed remuneratio et stabilitas apud Sanctam Sedem haberi potest ex alio titulo, puta a translatione facta ab alio Sanctae Sedis officio in quo translatus stabilis erat», id quod praecise evenit pro Rev.do [X].

10. – Haec hucusque dicta clare ostendunt interpretationem sententiae diei 16 decembris 1989 secundum mentem Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae, componi non posse cum expositione et ratione supra commemoratae sententiae.

11. – Adde, annotatio a Iudicibus facta: «Eadem Administratio Patrimonii Sedis Apostolicae executioni mandet sententiam definitivam H.S.T. diei 16 decembris 1989 iuxta mentem in hac sententia declaratam ac pronuntiatam», fortiter resistit interpretationi ab Administratione Patrimonii Sedis Apostolicae factae, et petitionibus Rev.di [X] favet. Magni ponderis est ad veram mentem sententiae H.S.T. diei 16 decembris 1989 cognoscendam etiam votum Praefecturae Rerum Oeconomicarum Sanctae Sedis diei 1 iunii 1988 quod habetur in litteris “Ufficio per i rapporti con il Personale della Santa Sede” diei 15 iunii 1988, ubi dicitur inter alia: «se ai sensi della normativa vigente doveva essere continuato il computo degli effetti dell’anzianità di servizio qualora egli (Rev. [X]) fosse stato collocato in disponibilità, a maggior ragione questo doveva avvenire nel caso in specie, atteso che non si è verificata alcuna discontinuità nel servizio».

12. – **Conclusio.** – Quare, omnibus et singulis tum in iure tum in facto rite perpensis et cribratis, proposito dubio censuerunt Patres respondendum esse, uti respondent:

**Affirmative seu constare de violatione legis in decernendo relate ad actum Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae die 20 augusti 1990, quo executioni mandatur sententia definitiva H.S.T. diei 16 decembris 1989.**

Pro expensis retinetur summa deposita.

Unaquaeque pars proprio Patrono congruum solvat honorarium.

Ita pronuntiamus et statuimus, mandantes iis ad quos spectat, ut executioni tradant hanc Nostram definitivam sententiam.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 27 martii 1993.

Bernardinus Card. GANTIN  
Rogerius Card. ETCHEGARAY  
D. Simon Card. LOURDUSAMY  
Eduardus Card. GAGNON  
Antonius Maria Card. JAVIERRE ORTAS  
Vincentius FAGIOLO  
+ Ioseph MERCIECA, *Ponens*  
+ Philippus GIANNINI  
+ Aemilius EID  
Iulianus HERRANZ

Notificetur.

Romae, 21 iunii 1993.

+ Zenon GROCHOLEWSKI, *Secretarius*  
Vincentius CÁRCEL ORTÍ, *Moderator Cancellariae*